DISPVTATIO IVRIDICA
DE
ACQVIRENDO RE=RVM DOMINIO,

Quam
Adiuuante Iehouâ
Præſidente
HENRICO ANDREA CRANIO,
in incluta academia IVLIA
XXV. Die Iulij
Pro ingenij modulo defendendam ſuſcipit:

EANDEMQVE
AMPLISSIMIS, SPECTA=TISSIMIS, MVLTOQVE RERVM
vſu & experientiâ præſtantiſſimis viris, Dominis Conſulibus & Senatoribus
Reipub. Soltquel:
Nec non ibidem
TRIBVNO ATQVE TRIBVLIBVS
percelebris collegij negotiatorum pannorum &c.

Dominis, patronis ac fautoribus ſuis demiſsâ obſeruantiâ colendis. D. conſecrat & offert
THEODORVS GARTZ Soltq.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

HELMAESTADII
Excudebat Iacobus Lucius, ANNO 1604.

Propositionvm Ivridicarvm

I.

DOminium definimus ius patrimonij cuiq; rei rectè dominandi.

Gœd. ad l. 49. ax. 1. n. 7. de V. S.

2. Malè illud à quibuſdam diuiditur in directum & vtile.

Cuiac. 11. O. 35. Duar. 1. Diſp. 17. Coſtal. in l. 1. ſi ag. vect. l. 12. C. de fund. patr.

3. Meliùs in dominium proprietatis & iuris. *Gœd. d. loc.*

I. Apprehensio: 4. Acquiritur autem nobis dominium de iure gent. duobus potiſſimum modis, vtpote rei *apprehenſione* & *acceſſione*. Illa in occupatione conſiſtit & traditione. *Donel. 4. com. 7.*

Captiuitas. 5. Occupationis, à qua dominia rerum quondam traxêre originem, prima ſpecies *captiuitas*, quâ præda prælio capta, puta res hoſtium mobiles, ſtatim etiam Duce belli eas non diuidente, capientium fiunt, vel etiam Duar. reclamante.

ar. §. 17. I. h. l. 5. §. f. e. Gœd. in l. 3. §. 1. n. 11. de V. S contra Duar. h. c. 3. ar. l. 36. C. h. Br. in d. l. 5 §. f.

6. Immobilia tamen ab hoſtibus capta non occupantibus, vt Donel. exiſtimat; ſed fiſco acquiri veroſimilius eſt.

arg. l. 20. §. 1. de capt. & poſtlim. l. 16. h. l. 11. de euict. Cuiac. 19. O. 7. contra Don. 4. com. 21. Trextl. h. th. 4.

Venatio, Piſcatio. 7. Secunda occupationis ſpecies eſt Venatio. Hæc num alicui ſeruitutum ſpeciei aſſimiletur mirè variant Dd.? Sunt qui eam ſeruitutibus realibus *a*; Sunt etiam qui perſonalibus *b* annumerent. Alij Venationem fructum Iuriſdictionis eſſe opinantur *c* Sed hîc primùm ſitnè reuera ſeruitus, nobis indagandum.

a Gail. 2. O. 66. & de pign. c. f. Mynſ. ad §. 2. I. de ſeruit. b Bruckman. de regal. §. venatio. c. 2. n. 12. c Zoannet. ad l. 2. n. 207. C. de pact. inter Empt. & vend.

8. Dubitatur, num venatio ſeu ius venandi connumeretur

tur inter regalia? acriter propugnat Pruckman: Nos D. VVeſ. conſtanter neganti ſupplicare non erubeſcimus.

D. Vult. 1. F. 5. n. 7. VVeſ. h. n. 7. in f. Pruck. d. §. c. 1.

9. Piſcationē de regalib9 eſſe qui negant, illi cum Cuiac. in c. vn. Quæ ſint regal. pro piſcationum legendum putant Picariarum *a*: Sed cenſura eſt admodum violenta *b*.

a propter l. 17. §. f. de V. S. vt intelligatur hoc in d. c. vn. de fodinis picis, ſiue de loco, vbi foditur pix foßilis *b V. Dn. Sixtin. de regal. c. 20.*

10. An qui contra prohibitionem domini, fundum alienum, venandi aut aucupandi gratia ingreditur, feras, quas capit, ſuas faciat? Aff.

arg. l. 1. in f. h. t. l. 1. §. 1. de acq. poß. iunct. *§. 12. I. h. l. 3. ff. e. Don. 4. com. 8. in f.* Contra *Cuiac. 4. O. 2. in f.* ¶ Diſtinguit *Obrech. th. 107. cum 4. ſeqq.*

11. Difficilius: An ſicut in alieno fundo venari; ita etiam in alieno lacu vel ſtagno, piſcari iure noſtro liceat? Aff.

arg. l. 3. §. 14. de acq. poß. l. 13. §. f. de iniur. iunct. *d. §. 12. vbi VVeſ. l. 1. §. f. l. 3. §. 2. ff. h. Cuiac. d. O. 2.* VVeſ. ſibi contrarius *in par. ff. h. t. n. 7.* Quem ſecutus eſt *Donel. d. c. 8. in pr.*

12. Multi quoq; multùm ambigunt: An ius piſcandi in certo fluminis publici loco nobis præſcriptione acquiramus, ita vt alterum eodem loco piſcari prohibere poſſimus? Neg.

arg. §. 1. I. h. l. 50. ff. eod. iunct. *§. 2. I. h. l. 24. de damn. infect. ar. l. 45. de vſuc.* iunct. *l. 6. de R. D. Don. 5. com. 22. Conan. 3. com. 15.* Diſs. *Cuiac. ad l. 45. de vſuc. & ibi Duar. c. 3.*

13. Hodiè tamen venatio ſolis Principibus, Nobilibus & alijs, quibus partim iure conceſſionis, partim præſcriptionis, hoc ius quæſitum eſt, competit, adeo, vt ne quidem in proprijs locis venari liceat ſubditis. Et hanc principum prohibitionem optimè defendi poſſe putamus.

V. VVeſ. in par. h. n. 7. & rationum cumulum apud Dn. præceptorem Eberh. Speckhan. cent. 1. q. 97.

14. Si tamen feræ priuatorum agros vel vineas depaſcantur, aliudue damnum inferant, eo nomine tenebitur is, cui ius venandi quæſitum.

Gail. 2.O. 68.n.10. Zoannett.ſub pact. de retrou.n.146. & ſeqq.

15. In tranſgreſſores harum prohibitionum capitali animaduertere pœnâ, nobis admodum videtur durum, & alijs penè inhumanum.

VVeſ.d.n.7. Pruckman. in d. c. 4. n. 62. D. Speckhan. d.lo. ar. l. 11. & 13. de pœn. N. 134. c. 13.

16. Venatio licet pro turpi & illicito exercitio non habeatur; Clericis tamen & Monachis alijſuè perſonis Eccleſiaſticis, eius vſu regulariter interdictum eſſe, de iure canonico, pleriſq; verius videtur.

ar. rubr. & t.t. de cler. venat. c. Eſau.1. diſt.86.c.1.& 3.diſt. 34. clem.1.§. porro. de ſtat. Monach. c.1. ne cler. vel Monach. clem.2. de cenſib.v. limit. apud Pruckman.d.c.4. n.78. & multis ſeqq. confer *VVeſ. in par.h.t.n.7.*

17. Qui ius habet venandi in ſylua, an eidem in capturam ferarum permiſſum ſit, vt ſuccisis lignis ſyluam iſtam venatoriam cingere, circumſepire & bannum ferinum, **einen gehägten Wildtban oder Forſt/** conſtituere poſſit? Quod indiſtinctè affirmat Gail. *a* Sed alij ex ſententia Petr. Mindani *b*, id non ſine ratione limitandum arbitrantur.

a 2.O.68.n.7.ar.l.29.locat. b 2. de proceſ.c.41.n.1. ar.l. 7.§.1.de vſufr.

18. Vnde & illa pullulaſcit dubietas, vtrum fructus ſylueſtres pro alimentis ferarum, in dubio ſpectent ad eum, qui ius venandi habet; an verò ad dominum ſyluæ vel ad fructuarium? Prius probat Gail. *a* Improbat idem Mindanus *b*: Sed rationibus (meo iudicio) non ſatis ponderoſis.

a d.O.68. n. 3. & ſeqq. b d.c.41.n.2.ar.l.1.in f.ff.ſi vſuſfr.pet. & l. vn. de gland. leg.

Inuentio.

19. Tertia occupationis ſpecies eſt INVENTIO, rerum ſc. earum, quæ vel nullius fuerunt, vel alicuius eſſe deſierunt. Vnde dubitatur, Theſaurus in loco ſacro vel religioſo inuentus, cuinam acquiratur? Quidam cum Iuſtin. *a* ex ſententia D. Hadriani eum totum tribuunt inuentori: Alij ex Diuorum fratrum ſententia, pro parte fiſco relinquunt *b* Et has

has ſententias, vt quidam putant, ſibi inuicem contrarias noneſſe, conuincemus.

a in §. 40. I.h.l. 31. §.1.ff. e. b l. 3. §. p. de iur. fiſc. Aliter *Cuiac. 9. O.37.* Aliter *A. Math. in not. ad d. §. 40.* & ibid aliter *VVeſ.*

20. In fundo Emphiteutico repertus theſ. quò pertineat, non minus ambigitur? Secundum quorundam *a* ſententiam totus vindicatur Emphiteutæ, ſi ipſe eum inuenerit; Sin tertius, pro parte ſaltem dimidia. Sed hæc alijs nimis dura videtur *b* Et nobis etiam hîc ſubdubitantibus non immeritò hæret aqua.

a Schneid. ad d. §. 40. & ibid. Dd. com. ar. l. 1. in f. C. de iur. Emph. l. 36. §. 1. h. iunct. l. 10. de R. I. b propter §. 3. Inſt. de locat. l. 1. 2. 3. C. de iur. Emph. & t. t. ſi ager vect.

21. Emptor fundum emit, in quo theſaurum ſciebat reconditũ, venditore id ignorante, cuius ille futurus? Emptoris.

ar. l. 67. de R.V. l. 15. ad Exhib. Diſs. *Conan. 3. com. 4. n. 4.*

22. Omnium vſitatiſſimus & æquitati naturali maximè conueniens acquirendi modus eſt TRADITIO, quâ dominium vt transferatur, in vacuam (ſi, credimus Contio & Hottom.) rei poſſeſſionem neceſſariò requiritur inductio, Donello reluctante. Traditio

v. §. 41. I. h. l. 12. C. de pact. vbi Donell. l. 28. de V.O. l. 1. de acquir. poſ. l. 13. C. de diſtr. pig. l. 12. C. de probat. l. 8. C. de act. empt. Cont. 1. diſp. 8. Hott. Ill. q. 11. Don. 4. com. 19.

23. In accipiente conſidero conſenſum acquirentis & rei traditæ acceptionem. Quid ſi in cauſa traditionis erretur? Error & diſſenſus, licet ipſum contrahendi impediant negotium, quod ex alterutra tantum parte tractari putabatur *a*, haud tamen dominij impediunt tranſlationem: ſi modò in corpus, quod traditur, mutuus conſpiret conſenſus *b*.

a Vlp. in l. 18. de reb. cred. iunct. *l. 31. h. t. d. l. 57. de O. & A. l. 15. de iuriſdict. l. 69. de R.I. b Iulian. in l. 36. h. t* Quam noſtri vt cum *d. l. 18.* conciliarent, ad varia dilapſi ſunt, Aliter *Donell. 4. com. 18.*

 Aliter

Aliter *Br. Iaſ. Zaſ. & Coſtal. in d. l. 18.* Alij inter errorem & diſſenſum diſtinguunt, qui refutâtur *d. l. 15. de iuriſd. l. 116. §. 1. de R. I. l. 2. de iudic.*

ACCES-SIO. 24. SECVNDVM, quod reſtat, acquirendi dominij genus eſt, ACCESSIO, quâ id, quod rei noſtræ accedit, noſtrum fit. Eſtq; *naturalis,* vt procreatio & alluuio, vel *artificialis ſeu induſtrialis,* vt ædificatio, plantatio, ſatio, textura, ſcriptura, pictura.

Procreatio 25. *Procreatio* eſt acceſſio ex ipſius rei corpore proueniens, ſiue id in fructu ſit, ſiue non.

text. in §. 19. §. 38. I. h. l. 2. 6. l. 68. §. 1. de vſufr. l. 48. §. 6. de furt. l. 28. de vſur. Menoch. caſ. 49. n. 7. Coraſ. 5. Miſcel. 8. 9.

26. Hîc labyrintum quæſtionum de fructibus, nobiſcum ingredi ſi cui volupe fuerit, reſpondebimus contra pleroſq; hîc theſei filum nobis inuidentes, bonæfidei poſſeſſorem fructus non tantum induſtriales; ſed etiam naturales percipiendo ſuos facere, & quidem conſumptos irreuocabiliter, ſiue ex ijs locupletior factus ſit, ſiue non.

ar. §. 36. vbi Diſs. *Dd. com. I. h. t. l. 44. ff. e. l. 25. §. 1. l. 28. de vſur. l. p. de vſufr. legat.* iunct. *l. 78. de R. V. A. Fab. 4. coniect. 17. Vult. diſcept.. vlt.*

27. Imò etiam quo ad fructus extantes, bonæfidei poſſeſſori patrocinatur Donellus *a:* Quos tamen rectius ſentientium iudicio, indiſtinctè domino rem ſuam vindicanti reſtituere tenetur *b.*

a. 4. com. 26. & de fruct. c. 4. b ar. l. 22. C. de R. V. l. 49. §. 1. ff. d. t. l. 40. in f. ad quam Cuiac. tr. 8. ad Afr. l. 48. h. t. Dd. dd. locis.

28. Malæfidei verò poſſeſſor omnes omninò fructus, etiam percipiendos, nullo tituli poſſeſſionis habito reſpectu, vel Accurſio occurſante, reſtituet.

ar. §. 2. 3. de off. iud. l. 33. l. 62. §. 1. de R. V. l. 25. §. 3. & ſeqq. ad pet. hæred. Vult. d. diſc. contra *Accurſ. ad d. §. 2. & 36.*

Alluuio. 29. ALLVVIO eſt acceſſio, quâ latenter fundo meo motu fluminis paulatim quid accedit *a,* vnde quæri poteſt, an adiectum fundo per alluuionem, nobis acquiratur cum iuriſdictione? Quod vulgò negatur. *a. §. 22.*

a §.20.& ſeq.I.h.l.7.§.1.ff. e.l.1. C. de alluu. Donell. 4. com. 27. confer *Hottom,ad d.§.20.l.14.h.t.* *b* *ar.l. 38. h. t. Soarez. in theſaur. rec. ſent. lit. A. n. 172.*

30. Inſula in flumine nata, ſi modo alueo cohæreat *a*, tam quoad vſum, quam proprietatem *b*, quicquid etiam dicat Cuiaciꝰ *c*, cōmunis eſt eorum, q̃ propè ripā prædia poſſident.

a *l.p.§.1.2.*iunct.*§.f.*quem negatiue legit Hottom *1.O.23.A.Math. ad §.22.I.h.* *b* *d.§.22.l.7.§.3.ff.e.l.p.§.f.ff. de flumin.l.29.h.t. Don. 4. com.11.& 29.* *c* *lib.14. O.11. Robert.1. rec. lect.11.*

31. Naturalis hæc eſt: Artificialis ſeu Induſtrialis acceſſio continet ædificationem, quæ fit aut ex alterius materia in ſolo proprio; vel ex propria in alieno. vtrobiq; quod inædificatur, ſolo cedit. *§.30.31.I.h.l.7. §. 10. 12. ff. e.* AEdificatio.

32. Priori tamen caſu domino materiam ſuam vindicare vel ad exhibendum agere non valenti, prodita eſt actio de tigno iuncto, quam etiam contra bonæfidei ædificatorē, (tigno etiam non furtiuo ædibus iuncto *a*) in duplum competere, magni nominis ICti voluêre *b*; Sed verène, an falsò, ipſa ſyncerè propalabit diſputatio.

a *Ant.Matth.in not.ad §.30.I.h. & alij ibid. plures.* *b* vide diuerſimodè *Cuiac.& Borch.ad d. §. 30.*Idem *Cui.23. O. 19. Gœd ad l.tigni. 62.n.8.& ſeq.de V S.* Aliter *VVeſ. ad d. §. 30. n. 5. Mynſ. n. 7. Oldend. 7. act. 6. n. 6.*

33. Quid ſi tignum illud ſoluere, dominoq; reſtituere paratus ſit, annè à dupli præſtatione liberabitur? videbimus.

*v.Don. 4. com. 33.verſ. quid tamen,*aliter *Accurſ. in l.23.§.vlt.de R.V. Cuiac.23.O.19.* aliter *Ant.Matth ad §.30.I. h.*

34. Poſteriori caſu ſcienter in alieno ſolo ædificans, ne quidem diruto ædificio materiæ habebit vindicationem *a*, vti nec indebiti condictionem *b* neq; negotiorum geſtorum actionem *b*.

a *§.31.I.h.l.7.§.12.ff.e.* iunct. *l.23. pr. de R. V.* *b* *l. 7. §. 2. inf. ff. pro Empt.l.53. de R.I.* *c* *ar. l. 33. de condict. indeb. Henr. de Pyro ad §. 30. I.h.* confer *l.2.C.de R. V.*

35 Hîc

35. Hîc dubia incidit quæſtio: an id, quod in noſtro ſit, propriâ auctoritate poſſim⁹ demoliri? Quod regulariter Aff.

ar.l.29.§.1. & ibi Dd. ad L. Aq. Accurſ. & Duar. ad l. 27. de ſeruit. vrban. Diſs. *Vaud.2.q.30.*

Plantatio. Satio. 36. Plantationis, Sationis, cum ædificatione eadem eſt ratio *a:* Cuius occaſione quæri poteſt, an fructus ex arboribus vicini prædij in meum cadentes mei ſint? Quod, niſi arbores eædem in meum egerint radices, negatur *b.*

*a §.32.33.I.h.t.l.53.de R.V.l.11.C. e. Don. 4. com. 34. b l.14. §.f. de praeſc.verb.*iunct. *l.7.§.f.l.ſeq.h.t.d.§.32. verſ. adeo.*

Textura, Scriptura. 37. Textura veſtimento *a*; ſcriptura chartæ cedit *b.* Quid de pictura? Huic cedere tabulã, ſpeciali ratione receptum *c:* Vnde Dd. aſtruunt, hodie quoq; chartam, vt viliorem, ſcripturæ, tanquam præſtantiori cedere: Quod tamen quibuſdam non immeritò diſplicet *d.*

a §.27.I.h. b §.34.I.h. c §.35.I.h.l.9.§.2.ff.e. conf. *l.23.§.3. ff. de R. V.* in qua quidam expreſſam conſtituunt antinomiam. *d V. Don.4 com.35.36. VVeſ. ad d.§.34.n.3.ibid.* aliter *Myſ. & Dd. com.*

SPECIFICATIO. 38. Vltimus de iure gentium acquirendi modus eſt *ſpecificatio,* per quam res ad priſtinam ſi nequit reduci materiam, nobis dominium acquiritur.

text. in §.25.I.h. Adde *ar.l.13.§.1.de V.S.l. 3. §. 21. de acq. poß. & ar. §. fere.12.I.h.*vide aliter *Conan. 3.com.6.n.3. Don.4. com. 31.*

Confuſio. 39. Huc refero confuſionem & commixtionem *a.* Quid ſi duorũ materiæ ſine voluntate caſu confuſæ ſint? communionem fieri placuit *b.*

a §.28.& ſeq.I.h.t. b d. §.28.l.7.§.9. ff. e. quib. text. negationem affingit. *Hott. 4.O.21* idq; auctoritate *Theoph. Sed fallitur vterq;.*

Commixtio. 40. Coronidis loco ſit circa commixtionem quæſtio: an in nummis ſingulariter receptum ſit. quod extat, in l.ſi alieni. 78. de ſolut? Neg. idem de frumento mixto concludentes.

v.Don.4.com.22. contra *gl.ad d.§.29.& in d.l.78.* confer *Briſſon.lib.1. de ſolut.pag.(mihi.)147.& quos refert. Treutl.h.th.f.*

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE